



Hierin 7 Safeln.  
26. Juli 1899.

Ex libris

Hunnii, Arnstadt.  
(Thuring.)

1884.

DE  
**FLVORIS ALBI**  
**BENIGNI IN MALIGNVM**  
TRANSITV SINE PRAEVIO CONTAGIO

P R A E S I D E  
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO  
DOMINO  
**D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO**

MED. ET ANAT. P. P. ORDINAR. ACADEM. CAESAR. NAT. CVRIOS.  
ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL. ET REG. BEROL. SCIENT.

SODALI  
PATRONO FAVTORE ET PRAECEPTORE  
OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDO  
**PRO GRADV DOCTORIS**

SOLLEMNITER CONSEQUENDO  
DIE IX. JANVARII CIO IOCC LXI.  
H. L. Q. S.  
PVBLICE DISPVTABIT  
AVCTOR  
**FRANC. JOSEPH. FERD. FRIDER. WIEHL**  
STRIGOVIA SILESIUS.

HALAE AD SALAM

STANNO CVRTIANO.



MVMISSA MVMINA  
VIRO  
EXCELENTISSIMO. AMPLISSIMO  
EXPERIENTISSIMO  
ITALIAE ET CECILIAE  
DOMINO  
FELICIS MEMORIE  
**DN. ADAMO. NIETZKI**

MEDICINAE. DOCTORI IN. FRIDERICIANA. CELEBERRIMO  
EIVSDEMQUE. PRACTICO. APVD. HALENSES  
LONGE. FELICISSIMO

PATRONO. FAVTORI. ATQVE  
PRAECEPTORI. AETERNA. OBSERVANTIA  
SVSPICIENDO

ANIMVM. DEDITISSIMVM

EXCELENTISIMO AMPLISSIMO  
ATQVE

FAVORIS. IN. SE. COLLATI

DONINO  
OPTIME. MEMOREM

PUBLICE. TESTIFICATVRVS

DISSERTATIONEM. HANC CE. SOLLEMNEM

OMNIGENAM. SIMVL. APPRECATVS. FELICITATEM

OPTIMO. PRAECEPTORI

SACRAM. ESSE. IVBET

FRANC. IOS. FERD. FRIEDR. WIEHL

---

HALAE, DIE VIII. JAN. A. P. P. V. MDCCCLXI.

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> IN AVG<sup>R</sup>ALIS M<sup>E</sup>DICA  
 DE  
**FLVORIS ALBI**  
 BENIGNI IN MALIGNVM TRANSITV  
 SINE PRAEVIO CONTAGIO.

---



---

CAPVT I.

DE  
 THEORIA FLVORIS ALBI BENIGNI IN  
 MALIGNVM SINE PRAEVIO CONTAGIO  
 TRANSEVNTIS.

§. I.

**A**ttento tibi ad diuersas, quae obseruantur morborum *Transitus* solutiones, facile innoteſcet, illas modo per redeuentem sanitatem, modo per mortem, modo per aliud morbum, huncque vel maiorem, vel minorem morbo soluto contingere. Ultima haec solutio dici poterit *transitus unius morbi in aliud*; illaque suborta, *morbus tunc in aliud transisse* existimatur.

A

Atque

Atque ita vnius morbi in alium transitus generatim ad solutiones morborum referendus erit. Praecipit vero Pathologia, ad quamcunque morbi solutionem distincte perspicēdām requiri, vt status aegrotantis tam praeteritus, quam praeſens et futurus rite cognoscatur: opus procul dubio est, vt in praeſentiarum differens ego de transitu fluoris albi benigni in malignum fine admisso aliunde contagio in id potissimum incumbam, vt integrum vtriusque fluoris doctrinam, quo ad cauſas et symptomata adumbrem; inde possibiliter transiſtū fluoris albi benigni in malignum absque contagio euincam, habita ſimul ratione omnium earum determinationum, quae tam ex modo compositionis partium adfectarū, quam ex individuali ſubiectorum conditione transitum huncce faciliorem reddunt; tandemque et ſymptomata, et prognosin illius tradam. Vt praeterea diſſertatio mea non careat soliditate, ſimulque Logicorum iſtitutis et Medicinae genio exaſte repondeat, ab iis exordiar, quae poſſibilitatem fluoris albi euincunt; generaliora ſpecialioribus ſemper praemittam, vbiq[ue] interspersis obſeruationib[us], vbi e re fore videbitur demonstratis maiorem adſundere lucem. Relicto enim in Medicina experientiae trāmitre nullus ad certam cognitionem patet aditus, et illius loco fugax arripitur umbra. Quod denique ad valorem argumenti, nunc pertraſtandi, attinet: non dubito, fore, vt a rerum medicarum guaris illi iustum ſtatuarū pretium, ſive enim doctrinae proponendae uilitatem, ſive illius nouitatem conſiderem: hoc thema mihi eo magis dignum eſſe videbatur elaboratione, a me nunc publice exhibenda loco ſpeciminiſ inauguralis medici, quo minus deſtituor obſeruationib[us], huic theoriae inſeruentibus, quas mihi colligere licuit, duce ad ſtrata aegrotantium fidissimo, praceptorē mihi numquam non aestuatiſſimo, Viro Excell. atque exper. D. D. NIETZKI. Liceat mihi nunc etiam eiusdem optimi praceptoris aliis principiis vti!

§. II.

## §. II.

Vterus est pars sexus sequioris sita inter intestinum rectum et vesicam vrinariam, figuram pyri caui versus axin paullulum depresso referens. Pars superior et latior fundus; inferior ceruix; reliqua corpus dicitur. Ceruicem terminat orificium vteri, vnde canalis prodit, dictus *vagina vteri*, cuius finis orificium *vaginae vterinae* constituit.

## §. III.

Vterus gaudet et *externa* et *interna membrana*. *Ex De membranis vteri.*  
*terna* a peritonaeo proficiscitur, *interna* continua epidermidis, plena est villis plurimisque hiatibus exiguis pertusa; humorem aqueum, mucosum plorantibus. *Vid. BOERHAAVII institut. med. §. 664.* Eadem copiosas format *rugas*, quibus vteri ceruix ita est referta, ut tota aspera, multisque, quasi *valuulis* non sursum, sed deorsum spectantibus obsita reperiatur. *Confr. illustr. PRAESIDIS obseru. anat. rar. fasc. II. p. LX. fig. II. p. LXIV. lit. A.A. MORGAGNI aduers. anat. I. p. 13. Tab. III. litt. LL. et per ill. de HALLER Icon. anat. fasc. II. de vtero humano fig. I. not. a. et fig. lit. I.*

## §. IV.

Circa ceruicem vteri eiusdemque orificium internum saepius inueniuntur *vesiculae subrotundae* aut *ouales*, quae praefatae multum humor lentum, seu mucosum emittunt. Hae modo intra ceruicis ipsius substantiam penitus latent, modo ex altera parte in ceruicis cavitatem prominent, ex altera

autem intra eius substantiam sese recondunt. *Confr. MORGAGN. aduers. anat. I. p. 44.* Constanter vero inter valuulas (§. ant.) *sinus* sunt *mucosi*, et mucus sic exsudans in recens natis copiosissimus lactis colore, et consistentia puris vaginali et vterum replet. *Vid. perill. de HALLER Icon. anat. fasc. II. de vtero humano fig. I. not. a.*

### §. V.

*De aliis  
partibus  
uterum in-  
gredienti-  
bus.*

Membranam vteri externam inter et internam (§. III.) innumera sunt *vasa sanguifera* tam *arteriosa*, quam *venosa*, *nerui*, *fibrae musculares* paucissimae, *cellulosa* densa, *duriuscula*, *suc-  
culenta*. *Confr. perill. de HALLER prim. lin. physiol. §§. DCCCIV.  
DCCCVII. seq.* An et *lymphatica vasa*? Vedit MORGAGNVS in puerpera breui a partu tempore et repente defuncta *vasa lymphatica* admodum turgida sub exteriore vteri tunica prope ostii regionem manifestissime reptantia. *Confr. Eisfd. aduers. anat. IV. animaduers. XLIII. p. 76.* Haec ipsa vasa in brutis quidem, in hominibus vero numquam se obseruasse testatur *perill. de HALLER l. m. c. §. DCCCIX.* Cui asserto calculum adiicit VERHEYN in anat. c. b. tractat. I. cap. XXVII, qui vasorum lymphaticorum in vtero existentiam non solum concedit, sed et defendit.

### §. VI.

*Ratio va-  
forum san-  
guifer. in  
vtero.*

*Vasa vteri sanguifera* (§. ant.) perpendiculariter sita tortuoso itinere progrediuntur. *Arteriae* mire inter se inuicem communicantes et copiosiores pro vteri magnitudine per ampliae sunt et maiores, quam in viris, et maiorem earum lumen relatum

relatum ad suas membranas rationem habet. *Venae* minus latae, quam in viris, sed firmiores reperiuntur, quam alibi in corpore humano, atque omnes, si a spermaticis discesseris, valuulis destituantur. *Confr. perill. de HALLER prim lin. physiol.*  
 §. §. DCCCIX, DCCCXIII.

## § VII.

Tegitur vagina vteri, a peritonaeo originem trahens, *De membrana quadam cellulari.* Hanc excipit *muscularis*, fibris *longitudinalibus instructa*, quam *nerua* sequitur, ampla, irritabilis. Ultima haec membrana asperam et rugosam reddit vaginam, nisi aut aetate, aut venere frequenti, in parte praesertim posteriore, deleatur rugositas. Rugis ipsis intersemiantae sunt lacunae, fluidum mucosum in vaginam deponentes, ortae a ductibus excretoriis minimarum glandularum, per exteriorem huius membranae superficiem dispersae. Duo aut plura horum ostiorum notabilia obseruantur circa vaginam initium statim ante hymenem, vel si hic laceratus est, ante carunculas myrtiformes, ita, ut modo bina, modo terna, aliquando etiam quaterna in singulis vtrinque lateribus numerentur. *Confr. MORGAGN. aduers. anat. I. p. 41 et 42. Perill. de HALLER icon. anat. fasc. II. de vtero humano fig. I. litt. t. t. v. v.* Atque istae quoque copiosum humorem mucosum emittunt, cuius fontes potius sunt sinus mucosi, quam glandulae peculiares. *Vid. MORGAGN. l. m. c. et perill. de HALLER not. ad l. m. c.*

## A 3

## § VIII.

## §. VIII.

*De vaginae  
vteri con-  
strictore,  
vasis et  
neruis.*

Circa ostium vaginae reperitur *musculus constrictor* ostii vaginae ab ani sphinctere ortus. *Confr. per ill. de HALLER prim. lin. physiolog. §. DCCCXXII.* Neque deficiunt in vagina *vasa sanguifera*, et *arteriosa*, et *venosa*, quorum insignis *plexus* vaginam fere totam ambit. *Confr. per ill. de HALLER l. m. c. §. DCCCXXIII. seq.* Ne hic quidem *nerui* desiderantur, in tanta copia praesentes, ut, pene sub coitu in vaginam intruso, voluptas increscat.

## §. IX.

*Vnde flu-  
xus men-  
struus.*

Ex §. VI. colligitur, arterias vteri respectu venarum esse debiliores, venas plus resistere, quam in aliis partibus corporis humani; sanguinem ob situm vasorum perpendiculari facilius versus vterum congeri; ex arteriis autem ad venas difficiliter transire, tandemque accidente plethora uniuersali longe citius ad *vasa lateralia* abire, quam ad venas. Notum porro est ex obseruationibus, pleraque sexus sequioris subiecta, aetatem paulo adultiorem adepta, menstruam quamdam pati plethoram. Ex quibus omnibus iam concludo, in eiusmodi subiectis, quois mense ad *vasa lateralia* sanguinem abire, indeque fieri posse, ut haemorrhagia ibidem determinetur (per princip. Patholog.): Quare *feminas* *adultiores*, plerasque *saltim*, *sanguinis* *ex vtero* *fluxionibus* quois mense succumbere oporebit, quae nomine *fluxus menstrui*, aliisque titulis splendidioribus solent a Medicis insigniri. Sed fieri potest, ut *sanguis*, ad vterum congestus, impe-

impediatur, quo minus excernatur, vt, oborto hoc obstaculo, ad vasa vaginam adeuntia, determinetur in tanta copia, vt in iisdem retineri nescius, effluat (per princ. Pathol.). Qua de causa *in fluxu menstruo sanguinis profundum ex uteri quoque vagina contingere poterit.*

Conspicua inde est ratio, cur feminis annosioribus, grauidis, puellis infantilibus nulla oboriatur sanguinis ex genitalibus excretio menstrua.

### §. X.

Absoluto fluxu menstruo vascula illa (§. anteced.) nil nisi humorem mucosum modo consueto dimittunt (BOERHAAV. I. c. §. 660.), huicque similem liquorem ductus glandularum vaginae, eiusque sinus plorant (§. VII). Consequens igitur erit: *mucus in utero eiusque vagina repertus, excernitur tam ex vasibus lateralis, seu sinus mucosis, quam ex glandularum vaginae emissariis.* Quoniam autem huius muci maxima copia obseruatur circa ceruicem uteri, eiusque vaginae initium (§§. IV et VII): *opus omnino est, ut ibidem copiosissimus excernatur.*

### §. XI.

Docet Pathologia, excretiones naturales saepius ita mutari, vt maiori in gradu contingent, quam cum statu sanitatis conuenit. Sed in utero eiusque vagina excernitur mucus (§. ant.). *Hoc igitur humidum tanta in copia excerni poterit, quanta cum sanitate consistere nequit.*

In

In Physiologicis euictum datur, mucum in genitalibus seminarum secretum ibidem ideo effundi, ne partes istae ob deficientem lubricationem exarescant; alias maxima inde incommoda prouenirent. Vbi etiam quantitate excedit eiusdem humoris excretio, ibi aequa non defunt incommoda inde oriunda. Repugnant haec vero statui sanitatis, vbi singularum partium corporis humani functiones determinato gradu finibus naturae conuenienter, adeoque absque ullo incommodo euenire debent.

### §. XII.

*Definitio fluoris albi.* *Fluor albus*, est muci in vtero eiusque vagina secreti maior excretio, quam opus est ad sanitatem.

Neque igitur est, cur dubites, quin etiam morbus iste nimiae excretionis oboriri possit (§. ant.).

### §. XIII.

*Partes adfectae in fluore albo.* Licebit iam ex §§. X. et XII. colligere, fluorem album contingere modo e vasibus lateralibus, seu sinibus mucosis vteri eiusque vaginae, modo ex his et ductibus glandularum vaginae simul tandemque a morbo isto ceruicem vteri una cum vaginae vterinae principio in primis adfigi.

### §. XIV.

*Cauſſa fluoris albi.* Fluor albus est muci, in vtero eiusque vagina se-creti, maior excretio, quam requirit sanitas (§. XII); illaque contingit partim e sinibus mucosis, partim ex his et glandularum vaginae emissariis simul (§. ant.). Ex quo apparet, cauſſam fluoris albi omne id esse debere, quod efficit, ut mucus

*mucus vel e vasis lateralibus solis, vel simul e glandularum vaginæ canaliculis excretoriis tam copiose profuat, ut sanitati aduersetur.*

## §. XV.

Fluida secreta excerni nequeunt sine eorumdem secretionem *Vnde huic  
cretione praegressa; id tradente Physiologia. Hinc illorum  
iusto maior excretio, similem omnino exposcit secretionem.  
Quum vero nulla secretio fiat, nisi antea determinata san-  
guinis quantitas ad loca secretoria fuerit delata (per prin-  
cip. physiol.) maior itaque fluidi secreti excretio, quam quae  
cum statu sanitatis congruit, tantam sanguinis ad loca secreto-  
ria requirit delationem, quantam perfectio corporis humani  
perferre nequit, ideoque congestionem (per princ. Pathol.).  
Vnde iam conficitur, omnem fluorem album congestionem sanguini-  
nis ad uterum eiusque vaginalm supponere, hancque illius in se con-  
tinere rationem (§. ant.).*

## §. XVI.

*Quidquid itaque sanguinem vel ad arterias uteri eiusque Quid inde  
vaginae, vasorum lateralium origines, vel ad has et glandulas va- sequatur.  
ginae simul ita congerit, ut inde mucus copiosus secernatur, ma-  
nentibus praeterea reliquis ad illius excretionem necessariis, illud  
fluorem album determinabit (§. §. XIV et XV); atque aucta sub  
iisdem conditionibus sanguinis praecipue serosi (§. XII) congestionem,  
morbus crescere, illa vero imminuta, decrescere debet (per an-  
teced).*

## B

## §. XVII.

## §. XVII.

*Extensio  
fluoris albi  
ad glandulas vagi-  
nales.*

Fluor albus e vasis lateralibus ortus efficere valebit, vt idem morbus ad glandulas vaginae se extendat. Quilibet enim fluor albus supponit congestionem ad vterum eiusque vaginam (§. XV); adeoque ille, qui e sinubus mucosis contingit, congestionem sanguinis ad arterias vteri et vaginae, a quibus vasa lateralia originem ducunt (§. ant.). Sed congestio ad vnum locum directa, congestionem versus alium, priori vicinum, determinat (per princip. Pathol.). Congestio itaque sanguinis, producens fluorem album e vasis lateralibus, caussa poterit esse nouae congestionis ad glandulas vaginae, ibidem efficientis fluorem album. Non poteris ergo de veritate propositionis amplius dubitare.

## §. XVIII.

*Quid ad  
ortum fluo-  
ris albi sanguinis, simul requirit vel sanguinis stricte dicti spissitudinem, vel  
requiratur. vasa arteriosa sanguifera nimis coarctata, vel tandem impossibilem  
vasorum lateralium dilatationem.*

Ortus fluoris albi e vasis lateralibus praeter congestionem sanguinis, simul requirit vel sanguinis stricte dicti spissitudinem, vel requiratur. vasa arteriosa sanguifera nimis coarctata, vel tandem impossibilem vasorum lateralium dilatationem. Omnis fluor albus sibi vindicat praegressam sanguinis congestionem ad vterum eiusque vaginam (§. XV). Quoniam vero congestio sanguinis ad vasa lateralia fluxum quoque menstruum determinat (§. IX): ne itaque loco fluoris albi (§. XVI) fluxus menstruus suboritur, necesse erit, vt praeter sanguinis adauertam quantitatem, illius transitus ad vasa lateralia prohibetur, illiusque vicem suppletat copia muci maior, quam quae sanitati respondeat (§. XVI). Id iam perficitur vel a spissitudine sanguinis stricte dicti, vel ab imminuto arteriarum rubrarum lumine,

ve

vel tandem ab impossibili vasorum lateralium dilatatione.

Quare nunc constat, veram esse propositionem.

### §. XIX.

*Solutio ductuum vteri huiusque vaginae mucum excernen-* Quid so-  
*tium, qualiscunque etiam illa fuerit, fluorem album determinare* <sup>lutio ductu-</sup> am mucos-  
*valeat.* Omnis vasorum solutio vel plenaria est, vel non (per forum in  
 princip. Pathol.). Pone iam ductus mucum excernentes,  
 plenarie esse solutos, opus tum est, vt mucus iam secretus,  
 citius excernatur, quam sanitas requirit; immo etiam, dum  
 secretio perdurat, dato temporis spatio illius copia in vtero  
 huiusque vagina maior colligatur, quam quae intra idem tem-  
 pus, sanitate adhuc integra, colligi solet. Vnde huius muci  
 maior excretio, quam quae cum sanitate corporis stat, siue  
 fluor albus (§. XII) necessario contingere debet. Sed pone  
 solutionem eorumdem ductuum non plenariam esse, siue co-  
 haesione elementorum, ductus constituentium, tantum  
 esse imminutam, atque necesse erit, vt isti sint plus iusto re-  
 laxati (per princip. Pathol.). Quoniam vero aucta ductuum  
 excretoriorum relaxatione, ipsa etiam excretio augeatur, id  
 praecipiente Physiologia: hinc ductibus, qui mucum in vte-  
 rum eiusque vaginam deponunt, valde relaxatis, illius ex-  
 cretio fiet ad quantitatem sanitatis limites transgredientem,  
 siue oborietur fluor albus (§. XII). Ex prolatis liquidam  
 esse puto propositionis veritatem.

### §. XX.

Docet Pathologia, arrosionem, ruptionem, debilitatem vasorum non nisi species solutionum esse. Hisce igitur <sup>Conseqꝫa-</sup> rium.

*mutationibus subortis in illis ductibus qui in uterum eiusque vaginam mucum effundunt, fluor albus producatur, necesse erit.*

### §. XXI.

*Effectus spasmi, rigiditas vasorum lateralium, quatenus cum constrictitate et gestione sanguinis ad ramos horum vasorum coniunguntur, generaliter in bunt fluorem album.* Congestio sanguinis ita directa ad arterias utriusque vaginae sanguineas, ut simul dilatatio vasorum lateralium fieri nequeat, caussam fluoris albi praebet (§§. XVII et XVIII). Verum enim vero spasmus, rigiditas horum vasorum supponunt atque eorundem cohaesione, consequenter etiam auctam eorundem resistentiam respectu sanguinis delati (per princ. Pathol.). Vnde iam imminuta vis sanguinis, quae caussa esse deberet dilatationis, haec ipsa non subsequetur. Quid ergo enunciata propositione poterit esse certius (§. XVIII)?

### §. XXII.

*Compressio vasorum utriusque vaginae.* Valida quaedam compressio vasorum commode subiuncta potest spasmus, a quo illa corripiuntur; id docente Pathologia. Quare non immerito referenda erit vasorum lateralium compressio ad caussas fluoris albi.

### §. XXIII.

*Fluoris albi caussae aliae.* Spasmus, rigiditas, compressio, debilitas arteriarum uteri et vaginae, e quibus vasa lateralia oriuntur, efficere debent fluorem album. Constat enim ex principiis Pathologicis, ob arterias ita affectas congeri sanguinem. Spasmodum, rigiditatem, compressio-

pressionem earundem ponere lumen imminutum, debilitatem vero impetum sanguinis imminuere, adeoque vasorum laterarium dilatationem impossibilem reddere. Ergo spasmus, rigidas, compressio, debilitas arteriarum vteri et vaginae, a quibus prodeunt vasa lateralia determinabunt fluorem album. (§§. XVII et XVIII).

### §. XXIV.

*Congestiones sanguinis impuri, aut diu durantes versus Iderum con-*  
*vterum eiusque vaginam, caussae esse possunt fluoris albi. Sanguis* tinuatur.  
*enim impurus modo irritat fibras, modo soluit; adeoque*  
*modo spasmum, modo debilitatem vasorum infert. Ipsae*  
*congestiones diu protractae debilitant (per princip. Patholog.).*  
*Quis ergo de veritate propositionis dubitabit (§. ant.)?*

Confirmat experientia veritatem huius aequae, ac aliorum §§. vbi de caussis et modo fluoris albi hucusque disputatum est, quo illius ortus distincte concipi debeat. Facile id mihi concedent, qui, animo ad obseruandum rite instructo, aegrotantium strata frequentant. Et remanen mea nunc fore iudicaui, maioris claritatis caussa illos casus ex ante dictis explicatiis deducere, vbi fluorem album adfuisse experientia frequentissime docuit, optima illa veritatis medicae magistra.

### §. XXV.

Puellae viro maturae notabiles versus loca genitalia ex-  
 periuntur congestiones sanguinis, atque illae augentur, spasmisque stipantur, excitato in iisdem appetitu ad venerem (per exper.): similes mutationes obseruantur in viduis iu-  
Cur pueræ  
et viduae  
iuniores  
obtempe-  
rent fluoris  
albo?

nioribus, quae amissio bono percharo huius restitutionem anxie concupiscunt (per exper.). Sed demonstrauimus congestiones, spasmos arteriarum vteri eiusque vaginae caussas fluoris albi suppeditare (§. §. XXII et XXIV). Vnde elucescit, *puellas viro maturas veneream appetentes, viduasque iuniores facile concipere posse fluorē album.*

### §. XXVI.

*Car idem morbus in annos et quibus flux. men- sif. diffic.* Subiecta annosiora et quibus menses difficulter prorumpunt succumbere possunt fluori albo. Subiecta enim aetatis proiectio- ris fiunt rigida, cacochymica, nihil tamen minus adhuc per aliquod tempus obnoxia congestionibus ad loca vterina. Quod vero ad illas feminas attinet, quibus difficilis est men- sium eruptio, ibi obtinere solent modo spissitudo sanguinis, modo vasorum arteriosorum in partibus genitalibus internis spasmus vel debilitas. Quibus itaque subiectis fluor albus oboriatur, necesse erit. (§. §. XXIII et XIX).

### §. XXVII.

*Cur graui- dae et ab- ortientes eodem adfi- ciuntur?* In grauidis et abortum frequenter perpeccis fluor albus non infrequens esse debet. Grauidae enim spasmis, congestionibus fieri solent obnoxiae, comprimuntur ipsis vasā vteri eiusque vaginae; in abortientibus autem vasorum ruptio et ingens quedam debilitas oritur (per princip. Pathol.). Noli igitur mirari frequentiam morbi, quo feminae istae adficiuntur (§§ XXI. XXII. XXIII).

### XXVIII.

## §. XXVIII.

Feminae, quae venere abutuntur, frequentes versus vterum eiusque vaginam sibi producunt congestiones (per princip. Physiolog.). Quibus etiam sollemne est, aërem humidum, calidum ad genitalia admittere, illis vasa, haec loca adeuntia, debilitantur (per princip. Patholog.). Vnde iam conficitur, *feminas nunc descriptae conditionis fluoris albo facile obnoxias fieri posse* (§§ XV et XXIII).

## §. XXIX.

Res est inter Medicos confecta, quod, vna excretione suppressa, altera intendatur, priori magis respondens. Verum fluor albus est excretio muci intensa (§ XII). *Quod si press. ad fl. alb.* Igitur *aliae excretiones mucosae subito supprimantur, non deficien-*  
*tibus tamen caussis, a quibus sanguis serofus ad vterum eiusque*  
*vaginam congeritur: fieri tum aliter non potest, quin fluor albus*  
*inde suboriatur* (§ XVI).

## §. XXX.

Quilibet fluor albus supponit congestionem sanguinis ad vterum eiusque vaginam (§ XVI). Vnde concluditur, illa sexus sequioris subiecta, quae minus sunt obnoxia huic congestioni, difficilius fluorem album concipere oportere. Habes hic rationem, *cur puellae impuberes rarissime concipiunt fluorum album, cur tamen huic malo subiacere soleant, phlegmatorrhagia, scabie, crusta lactea subito suppressis, sed irritatis vel debilitatis simul partibus genitalibus* (§ ant.).

## §. XXXI.

## §. XXXI.

*Quae nam  
hic tempe-  
ramenti et  
determinandum concurrunt, hic etiam eo facilius prode-  
vitiae gene-  
ris ratio.  
Quo plures, quo grauiores caussae ad vnum effectum  
determinandum concurrunt, hic etiam eo facilius produ-  
citur. Sequitur inde, subiectis temperamenti phlegmatici, in otio  
viuentibus, abusum eorum admittentibus, quae sanguinem viscidum  
reddunt, citius oboriri fluorem album, quam aliis (§§ XVI. XIX.  
XX. XXI et XXIII.).*

## §. XXXII.

*An putri-  
dum fl. al-  
bi caussa? fluorem album excitandum. Hoc enim putridum in partibus  
genitalibus vasa debilitat, ductus excretorios soluit, congestio-  
nes patrat (per princip. Patholog.); vnde etiam in fluoris  
albi caussam degenerabit (§§. XV. XIX. XX. XXIII.).*

## §. XXXIII.

*Quomodo  
putridum  
oriatur in  
corpore humano vel in eodem generari, vel ad illud extra deferri.  
c. b.*

Commonstrat Pathologia, omne putridum praesens in  
corpore humano vel in eodem generari, vel ad illud extra deferri.  
Si prius: vel in ipsa materia putrida per motum intestinum  
primario excluditur, accendentibus nempe ad quietem ma-  
teriae calore et aere sufficiente; vel propter contactum pu-  
tridi in materia quadam a putredine antea libera excitatur.  
Si posterius: caussa externa agit, quae apta est ad motum  
illum intestinum in ea parte determinandum, cui iam inhae-  
rere obseruatur putridum, atque id siue mediate, siue im-  
mediate fiat, id perinde esse poterit.

## §. XXXIV.

## §. XXXIV.

Putridum illud (§. XXXII), quomodocunque ortum ipsam materiam, sub fluore albo excernendam, putridam reddit (§. ant.). Fieri itaque potest, ut mucus ille excretus (§. XII) putridus euadat; ideoque fluor albus cum putredine muci connexus sit. Verum morbi, quibuscum connecta est putrida materia, dicuntur maligni (per princip. Patholog.). Ergo possibilis erit fluor albus malignus, cui iam opponitur *benignus*.

## §. XXXV.

In Pathologicis euictum traditur, fluorum album morbis chronicis esse annumerandum. Constat porro beneficio eorumdem principiorum pathologicorum, morbos chronicos malignos sibi vindicare putridum, quatenus connectum cum inspissatione fluidorum. Inde iam fluit, necesse esse, ut in fluor albo maligno mucus excernendus non solum putridus, sed et spissus sit (§. anteced.).

## §. XXXVI.

Quare caussae fluoris albi in genere, connectae cum muci in utero eiusque vagina inspissatione et putrefactione lento gradu progressione, ad caussas fluoris albi maligni pertinebunt; erunt vero in numero caussarum fluoris albi benigni, absente ibidem putrido (§. anteced.).

## §. XXXVII.

Anatomia teste constat, per corticem corporis humani exteriorem, innumera dispersa esse yasa inhalantia: Praeter

C

ter

ter id in Physiologicis demonstratum redditur, maris semen cum liquido prostatarum intensa vi magnoque cum impetu in vaginam muliebrem eiaculari, indeque in vterum promoueri. Pone nunc feminam ex genitalibus puram cum mare congredi, inquinato gonorrhoea maligna, aut pati, vt infectos lue venerea corpus suum immediate contingat, aut tandem quamcunque aliam similis putridi delationem in corpus suum permittere: tunc primo in casu semen cum liquido prostatarum putredine corruptum ad vaginam vteri deferatur; in secundo et tertio casu putridum venereum per vasa inhalantia corpori infertur, praesertim locis glandulosis, hinc etiam vaginae vteri (§. VII), quod latius serpens se extendet, et fluida ibidem deposita corrumpit (§ XXXIII), tandemque fluorem album malignum efficit. Ex quibus iam colligere licebit, *coitum impurum et putridum venereum, quomodo cunque ad corpus feminarum delatum, fluorem album malignum determinare.*

### XXXVIII.

*Quid fluor*

*albus ma-*

*lignus ex*

*contagio?*

*quando illius existentia rationem agnoscit sitam esse in con-*

*tactu corporis cuiusdam externi, putrido venereo inquinati;*

*sive cui aegra ob*

*putridum venereum, aliunde receptum,*

*subiacet.*

*Fluor albus malignus a contagio praevio ortus esse dicitur,*

*quando illius existentia rationem agnoscit sitam esse in con-*

*tactu corporis cuiusdam externi, putrido venereo inquinati;*

*sive cui aegra ob*

*putridum venereum, aliunde receptum,*

*subiacet.*

### §. XXXIX.

*Eius ortus*

*ab ulcera-*

*bus genita-*

*lium.*

Oriuntur quandoquidem absque ullo contagio ad corpus externe admisso ulcera, quorum materia spissae consistentiae

sistentiae atque indolis putridae est; id docente Pathologia. Neque ab eiusmodi ulceribus vterus eiusque vagina eximuntur; id prae aliis frequentissime probantibus exemplis infasti puerperii. Quare *ulceribus putridis natis in vtero eiusque vagina, ob putridum fluidis ibidem contentis admixtum, fluor albus malignus necessarius erit* (§. §. XXXII et XXXIII).

## §. XL.

Dantur morbi maligni, qui putredinem totius massae humorum, cum inspissatione illius coniunctam requirunt (*per eiusdem princip. Patholog.*). Quod si igitur eiusmodi morbi accedant ad causas fluoris albi in genere: opus tunc erit, vt fluor albus suboriat, vbi mucus non nisi putrefscens excernitur. Hinc *ab huius farinae morbis non poterit non excitari fluor albus malignus* (§. XXXIV).

## §. XLI.

Ex §. praeced. cognoscitur, *quorsum fluor albus scabie, Consequentiæ scorbuto, purpura chronica laborantium referendus veniat?*

Quantopere cum his observationes consentiant, id perbene norunt, quanto aegrotantium res curaturi acumine obseruandi non carent. Sed iam intellectis causis vtriusque fluoris albi, me nunc ad explicandum transitum fluoris albi benigni in malignum sine contagio praegresso conuertere possem. Ut autem benignum a maligno eo magis discernere, et de propositionibus, deinceps demonstrandis, eo certior fieri possis: iuuabit, eodem tramite seruato, in symptomata fluoris albi inquirere, ita, vt prius explicatis phaenomenis morbi in genere, symptomata deinde tam benigni, quam maligni specialiter tradantur; nullis admissis, quibus non responderent observationes.

C 2

## §. XLII.

## §. XLII.

*Floris albi sympto-* Ad quemlibet fluorem album requiritur congestio verbi *matu-* sus vterum huiusque vaginam (§. XV). Sed congestiones sanguinis ad loca inferiora directae, in partibus superioribus frequentissime, in inferioribus autem semper spasmos determinant, numquam non nocios liberiori sanguinis transgressui per sua vasa (per princip. Patholog.). Ergo *subiecta* fluori albo obnoxia conqueri debent de grauitate pedum, et plerumque pallecent, neceſſe eſt.

## §. XLIII.

*Alia.*

Inminente fluxu menstruo, augentur congestiones versus vasa, ad vterum eiusque vaginam tendentia (§. IX). Quum praeterea aucta cauſa effectus cuiusdam, ille ipſe augatur: *opus erit, ut fluore albo laborantes, instantे excretionē menstrua, partium inferiorum atroces experiantur spasmos.*

## §. XLIV.

*Alia.*

Excretiones naturales excedentes debilitatem corporis post se trahere, communi Pathologorum suffragio conſtat. Quod itaque a fluore albo longae durationis debilitas totius corporis determinetur, dubitari nequit (§. XII).

## §. XLV.

*Alia.*

Debilitas corporis pertinet ad cauſas, a quibus lassitudo, tabes, febris lenta, oedemata, hydrops, cachexia, vteri prolapsus, abortus, sterilitas in ſexu ſequiore efficiuntur (per princip. Patholog.). Ergo nunc modo recenſi morbi poſſibiliā ſunt fluoris albi ſymptomata (§. antec.).

## §. XLVI.

## §. XLVI.

Fluor albus omnium maxime adfligit et ceruicem vteri, et eius vaginae initium (§ XIII): hinc mucus circa orificium vteri accumulari, atque sub vrinae excretione eidem admisceri debet. *Fit inde, ut subiecta eiusmodi conquerantur de insolito partium genitalium madore, illorumque vrina vase quodam excepta, flocculos monstret innatantes.*

Alia.

## §. XLVII.

Aucto motu corporis, excretiones naturales intenduntur (per princip. Physiolog.). Non mirandum itaque erit, quod, *instituto sub fluore albo motu corporis validiore madore ille (§. ant) valde increscat, saepiusque aucto simul adfrictu partium genitalium externalium excoriatio determinetur.*

Alia.

## §. XLVIII.

Quae in §. XLVI dicta sunt, illa sensibus percipi possunt, atque ita sunt comparata, ut de nullo alio morbo va- Illius signa  
pathognomica sufficiencia. leant (per princip. Patholog.). Sed talia phaenomena morbi, signa sunt pathognomica sufficientia; praeceptrice Pathologia. Ergo *ex insolito partium genitalium madore, flocculisque vrinae feminarum innatantibus, certissime colligere poteris, eas fluore albo laborare.*

## §. XLIX.

*In quoconque fluore albo motus febriles adesse debent.* Fluoris albi aliud symptoma. Ostendit Pathologia, febres momentaneas spasmis, excreti- nibus naturalibus nimium auctis, congestionibus comites

C 3

fese

fese adiungere. Verum enim vero praesente fluore albo adfunt spasmi (§. XLII), excretio naturalis nimium aucta (§. XII), congestiones (§ XV). Quapropter non deficient in fluore albo commotiones febriles.

### §. L.

*Vnde symptoma  
ptomata  
diuersa in tum a putrido pendet, quod maligno inest.  
vteroque  
fluore albo.*

Diversitas symptomatum fluoris albi benigni et maligni tandem a putrido pendet, quod maligno inest. In fluore enim albo utroque benigno non nisi excretio muci, in vtero eiusque vagina secreti, nimis aucta obtinet, ad quam illius adhuc putredo in fluore albo maligno accedit (§. §. XII et XXXIV). Quare symptomata fluoris albi benigni nulla alia esse possunt, quam quae ab excedente muci excretione ex vtero eiusque vagina profiscuntur, maligni vero praeter haec ea simul, quae putrefactioni eiusdem fluidi originem suam debent. Neque idcirco dubitari poterit de veritate propositionis.

### §. LI.

*Cur in ma-  
ligno gra-  
mora sim-*

Symptomata fluoris albi generalia in fluore albo maligno similia grauiora esse debent, quam in benigno. Putridum enim irritat, congestiones iam praesentes auget, spasmos producit, vasa soluit (per princip. Patholog.). Consequenter fluor albus malignus grauiores huius exacerbatae excretionis caussas suppeditat. Quae vero differentia inter symptomata fluoris albi maligni et benigni intercedit, illa solum a putrido pendet (§. anteced.). Hinc in fluore albo maligno, caetera si eadem fuerint, maior excretio muci, quam in benigno, suboriatur necesse erit. Quae quum rationem in se contineat symptomatum

matum fluoris albi generaliorum: ipsa ideoque symptomata, in superioribus tradita, grauiora sint oportet in maligno, quam quidem in benigno.

### §. LII.

In fluore albo maligno grauiores spasmi adeesse debent, *In fluore  
albo maligno orium  
tum mortis  
vrinarii.*  
quam in benigno (§. §. XLII et LI.). Quum vero spasminus exacerbatus sese extendere soleat, praecipue ad loca vicina (per princip. Pathol.): fieri adeoque poterit, ut spasmi fluori albo superuenientes ad vesicam vrinariam pertingant. Hoc igitur facto, *stranguria et dysuria ortus necessarius erit in  
aegris ex fluore albo maligno* (per princip. Patholog.).

### §. LIII.

Non parum madent partes genitales, fluore albo maligno inquinatae; idque ideo fit, quoniam materia putrida ibidem excernitur (§§ XXXIV. XLVI et LI). Sed materia putrida, adfricta partibus corporis humani, illis similes produnt effectus, qui produci solent ab alcali volatili; adeoque inflammations, dolores vix perferendi. Feminae ergo fluore albo maligno contaminatae, inflammaciones, ardores partium genitalium externarum, ipsique vicinarum concipere debent, ita, ut symptomata haec, instituto motu corporis progressu, magis increcent.

### §. LIV.

Sub motu progressu corporis maiora augmenta doloris oboriantur aegrotantibus *Quae inde  
apparitiones?* ex fluore albo maligno (§. ant.)

(§. ant.). Ut itaque fensionem hanc ingratam paullisper imminuant miserae, id potissimum curant, vt adfrictum partium genitalium externarum sub incessu praecaueant. Quod quum fiat, pedibus a se inuicem remotis: non miraberis, cur eiusmodi subiecta pedibus distentis incedant.

### §. LV.

*Ibidem bubones.*

*Fluor albus malignus bubones producere valet.* Bubones in specie Medicis dicuntur tumores inflammatorii aut scirrhosi glandularum praecipue inguinalium. Verum materia sub fluore albo maligno foras expulsa determinat quoque inflammationes partium partibus genitalibus vicinarum (§ LIII); hinc etiam glandularum inguinalium. Huc accedit, quod inflammationes solui possint per scirrum, praesertim illae, quae oriuntur a materia viscida, acri, in glandulis haerente (per princip. Patholog.). Satis inde constat de veritate propositionis.

### §. LVI.

*Vlceræ qualifica-*  
*ta.*

*Fluor albus malignus temporis successu determinabit vlceræ putridæ sive qualificata vteri, eiusque vaginae, nec non ani, vesicæ urinariae, aliarumque partium, ad quas materia maligna pertingit.* Id, quod vasa soluit, cauſsa vlceris esse potest; quod vero simul efficit, vt materia ex vlcere effluens putrida euadat, id cauſam vlceris qualificati suppeditabit (per princip. Patholog.). Sed putridum vasa soluit, idque cum inquinamento reliquæ massæ, quam contingit (per princip. Patholog.). Ergo putridum erit cauſa possibilis vlcerum quali-

qualificatorum, et quia praesens est in fluore albo maligno (§ XXXIV), non poterunt non inde huius furfuris vlcera produci. Quoniam autem praesente fluore albo maligno, vterus eiusque vagina in primis putrido replentur (§§ XII. et XXXIV): opus est, vt vlcera inde oriunda nascantur prius in vtero eiusque vagina. Ob nexus tandem harum partium cum aliis sibi vicinis (§ VIII), foetida ista vlcera ulterius quoque serpent. Vera ideoque erit propositio.

### §. LVII.

Putridae cuiusdam materiae excretionibus subito super pressis, illius delatio ad alia loca corporis fieri poterit; id docente Pathologia. Vnde iam conficitur, fieri posse, vt, re albo maligno, vlcera pu-trida ori-untr fluo-  
fluore albo maligno repente sufflaminato, vlcera qualificata in aliis quoque locis e. g. in peripheria corporis, suboriantur. (§§ XII et XXXIV).

### §. LVIII.

Euincunt Pathologi, vlcera qualificata facile mutari in fistulas, atque haemorrhoides serpiginosas produci, putrida materia delata ad intestinum rectum. Enimuero fluor albus malignus producere potest vlcera qualificata, in vtero eiusque vagina, in ano et vesica vrinaria, idque ob putridum ibidem contentum (§ LVI). Quin igitur fluor albo maligno fistulae nunc modo dictarum partium, et haemorrhoides serpiginosae accedere possint, extra dubium erit.

D

### §. LIX.

## §. LIX.

*Lues venerea.* Vasa resorbentia seu bibula ybique patent in corpore humano; idem ad viuum probantibus Anatomicis. Putrida ergo materia, quae praesente fluore albo maligno, in genitalibus, hisque vicinis partibus aliis delitescit, absorberi poterit, atque ideo ad reliquam massam humorum deferri, huic quoque illatura putrefactionis labem (§ XXXIV). Quum denique ex huius materiae absorptione tota in primis massa lymphatico-ferosa putredinem lentam concipiatur, quae simul connexa est cum fluore albo maligno (§ XXXV); atque hoc statu corporis in femina suborto, luem venereum ibidem adesse praecipient Pathologi: *optimo inde iure colligitur, fieri posse, ut mora temporis fluor albus in luem venereum degeneret.*

## §. LX.

*Cachexia.* Constat per obseruata, ex morbis malignis chronicis aegrotantium faciem pallescere, luridam euadere, siue illorum adspectum fieri cacheeticum. *Huiusmodi igitur adspectum prae se etiam ferunt feminae fluor albo maligno foedatae.*

## §. LXI.

*Qualis virina?* In quolibet fluore albo adest insolitus partium genitalium mador, insunt flocculi vrinae, quae ab aegrotantibus excernitur, innatantes (§ XLVI). Dum vero symptomata fluoris albi benigni et maligni tantum ratione putridi, quod in ultimo obtinet, inter se differunt; necesse erit, *ut in fluore albo benigno flocculi vrinae innatantes albicanter, in maligno vero colorem*

colorē exhibeant ex flauo in viridem ruentem; non deficiente lotii foetore. Exceptis nimirum bile et vrina, reliqua fluida, quae in corpore humano sano fecernuntur, blanda sunt, coloris ad albedinem vergentis, nullius foetoris. Vbi vero putrefescunt, ibi et foetere incipiunt et mutari quoad colorē.

## §. LXII.

Quare §. ant. signa sufficientia oppido tenet, quibus ad vnde mor- discernendum fluorem album benignum a maligno vti poteris (§§. <sup>bi signa.</sup> XLVIII et L.).

## §. LXIII.

*Motus febriles in fluore albo conducunt, si benignus fuerit, Ratio me- in maligno autem nocent. Febres enim momentaneae augent tuum fe- excretionem periphericam (per princip. Patholog.); hac vero brilium.*

aucta, excretio particularis imminui debet, et congesiones ad loca directae, vbi particularis sit excretio, decrescant oportet (per princip. Pathol.). Verum enim vero fluor albus pertinet ad excretiones particulares (§ XII), et conges- sionem requirit (§ XV), qua imminuta, morbus simul immi- nuitur (§ XVI). Quod ergo motus febriles, accedentes ad fluorem album benignum efficere valeant, vt ille decrescat, immo, redeunte per eosdem locorum adfictorum robore, plane soluatur, dubitari nequit (per princip. Patholog.). Sed quia in fluore albo maligno simul putridum lentae progressio- nis adest (§§ XXXIV et XXXV), quod absorptum luem venereum excludit (§ LIX): non poterunt ergo non esse noxiū motus febriles in fluore albo maligno; quum ita ad

D 2

humo-

humores dispersa materia putrida, inde status aegrotantium  
longe magis deprauetur. Manifesta hinc erit propositio.

### §. LXIV.

*Fluoris albi differens magnitudo.* Nam et numero, et acerbitate symptomatum fluor albus malignus benignum superat; id quod superius dicta testantur. Quo plures vero functiones, quo grauius illae laeduntur, eo maior tunc quoque erit morbus (per princip. Patholog.). Fluor itaque malignus prae benigno morbi magnitudine eminebit.

### §. LXV.

*Putridi ortus ad genitalia in utero eiusque vagina suboriarur.* Fluor albus in genere supponit muci, in utero eiusque vagina secreti excretionem illa maiorem, quae obtinet (§ XII.). Sed notum est ex principiis pathologicis, fieri posse, vt sub excretionum naturallium augmentis particula materiae excernendae locis adfertis adhaereat, ad quietem perducta; quod in fluore albo benigno, eo magis contingere debet, quum materiam ibidem excernendam per loca rugarum plena transire oporteat (§§ III. VII. XIII.). Atque ita particulis muci in utero eiusque vagina quiescentibus, idem eueniet, quod in fluido quodam alio stagnante in locis calidis, humidis, aëri patentibus contingere solet. Neque hic aliud quid oboriri poterit, quam fluidi inspissatio, illiusque putrefactio (per princip. Patholog.). Quae quum ita se habeant: nullum certe dubium erit,

erit, quin praesente fluore albo benigno putridum vtero eiusque vaginae ingenerari queat.

### §. LXVI.

Quum a maiori putrido in vtero eiusque vagina *Ulcer*-  
ra qualificata ibidem produci possint (LVI): *baec etiam fluor*<sup>Quid inde</sup>  
*albo benigno accedere poterunt* (§. anteced.).

### §. LXVII.

Ad symptomata fluoris albi generatim, consequenter *Horum*  
etiam benigni, referenda est debilitas corporis (§. XLIV.).  
*corrupcio*  
*vniuersalis*  
Nec raro hic occurunt variae fluxus menstrui perturbatio-  
*a fluore*  
*albo beni-*  
nes; id docente experientia. Fieri tandem solet, vt sub *gno*.  
ista corporis conditione visceribus abdominis multiplia in-  
commoda accident, quibus efficitur, vt, chylo non adeo  
bonae indolis elaborato, vniuersa massa humorum sensim sen-  
simque corrumpatur (per princip. Patholog.). *Quod itaque*  
*ad fluorem album benignum totius massae humorum putrescentia ac-*  
*cedere possit, nullam inuoluit contradictionem.*

### §. LXVIII.

Quare iam vi §. praeced. concludere licebit, *aegrotanti-*  
*bus ex fluore albo benigno scabiem, purpuram chronicam, scorbutum*<sup>Quid inde</sup>  
*oboriri posse.*

### §. LXIX.

Putridum lenti progressus in vtero eiusque vagina lati-  
tans, hisce partibus exulceratis, fluorem album malignum  
D 3 produ-

*Floris albi*  
*benigni*  
*transitus in*  
*malignum*  
*possibilis.*

producit (§. XXXIX.). Similis quoque conditionis fluorem determinant scabies, purpura chronica, scorbutus, si nempe fuerint connexa cum caussis fluoris albi generalioribus (§. XL.); quod itaque fieri debet, quando haec mala ad fluorem album benignum accedunt, quo praesente, praesentes quoque erunt caussae generaliores fluoris albi (§. XXXVI). Tum autem fluor albus benignus desinit inexistere corpori, atque illius vicem subit malignus, siue fluor albus benignus transit in malignum (§. I.). Verum fieri potest, vt, praesente fluore albo benigno, putridum in utero eiusque vagina, vlera harum partium composita, scabies, purpura chronica, scorbutus excludantur (§. §. LXV, LXVI. et LXVIII.). Ergo *transitus fluoris albi benigni in malignum possibilis est.*

## §. LXX.

*Transitus  
fluoris albi  
benigni in  
malignum  
aliter evin-  
citur.*

Intelligere licet ex §. XXXVII, fluorem album malignum determinari a contactu corporis cuiusdam externi, putrido venereo inquinati (§. XXXVIII). Pone nunc immediatum hunc contactum subire aut puellam, aut feminam, fluori albo benigno iam obnoxiam: nomine concedes, fluorem album benignum mutari in malignum? Si negas, tunc largiri debes, propositionem vniuersalem, non esse vniuersalem; quod vero rationi repugnat. Quapropter denuo constat, *fluorem album benignum in malignum transfire posse* (§. I).

## §. LXXI.

## §. LXXI.

*Facta igitur contagii cuiusdam venerei accessione ad corpus Consecratae aegrotantis ex fluore albo benigno, iste nunc in malignum perquam rium facile degenerabit (§. XXXVIII et LXX).*

## §. LXXII.

*Fluor albus benignus transire potest in fluorem album malignum, idque sine praevio contagio. Mutationes illae, quarum mentio facta est in §. LXIX transitum fluoris albi benigni in malignum efficere valent. Sed ita sunt comparatae istae mutationes, ut etiam sine vlo putrido venereo externe admisso suboriri possint in aegris ex fluore albo benigno (§. §. LXV. LXVI. LXVII. LXVIII); id pluribus adhuc exemplis confirmante Pathologia. Ergo fluor albus benignus in malignum sine praevio contagio transire poterit.*

## §. LXXIII.

*Quo plures ideoque, quo grauiores cauffae in subiectis, Quid inde fluore albo benigno laborantibus concurrunt, ad putridum illud in colligatur? vtero eiusque vagina, aut in reliquis humoribus producendum: eo facilior esse debet transitus fluoris albi benigni in malignum sine praegresso contagio (§. ant.).*

## §. LXXIV.

*Ope principiorum pathologicorum ex § anteced. porro Quid ultius? confidere licebit: frequens aut difficile puerperium expertas, sae- pius abortientes, mensum suppressioni aut cessationi obnoxias, vis- cerum*

cerum debilitate adfectas, suppressionem aliarum excretionum naturalium admittentes, ex serpigne haemorrhoidalii aut ulceribus vesicae vel intestini recti aegrotantes, in otio viuentes, diaeta cruda vtentes, loca paludosa inhabitantes, longe facilius transitum illum in se percipere oportet, quam aliae, quibus fluor albus benignus, sine determinationibus istis, vel eiusmodi pluribus aliis, oboritur.

### §. LXXV.

*Putridi incrementa.* Omne putridum irritat, congestiones efficit, quibus ad loca directis, vbi putridum haeret, hoc increscit (per princip. Patholog.). Ergo fluoris albi benigni in malignum transiuntis prava indoles successiue maiora incrementa capiet (§ XXXIV. LXVII). Constat inde, cur malignitas primo admodum mitis esse videatur, deinde vero valde acerba fiat?

### §. LXXVI.

*Qualia ex isto transiitu symptomata?* Differentia symptomatum in utroque fluore albo a putrido proficiuntur, quod in maligno adeat, deficit in benigno (§ L). Quoniam igitur fluor albus benignus, qui transiit in malignum, non amplius est benignus, sed malignus: *binc iam facto transitu fluoris albi benigni in malignum huius quoque symptomata comparere debent, ita tamen, ut primo leuiora, deinde grauiora euadant* (§. ant.).

### §. LXXVII.

*Vnde pruritus genitalium.* Fluidum non ita eminentis putredinis, partibus sensibilioribus adfrictum, in iisdem pruritum excitare solet (per exper.). Sed fluore albo benigno in malignum sine praevio conta-

contagio transeunte, generatur putridum, quod primo lenioris, deinde autem grauioris efficaciae est in partibus, quas contingit (§. LXXV.). Vnde coniicitur, *subiecta, in quibus fluoris albi benigni in malignum fit transitus sine contagio praegresso, conqueri debere de partium genitalium pruritu admodum incommodo* (§. §. LIII et anteced.).

### §. LXXVIII.

Quia pruritus ille (§. ant.) neque fluorii albo benigno, *Vnde co-*  
*qua tali, neque etiam maligno competit, quatenus putredo gnoscatur*  
*iam notabilis est, multo grauiorum solutionum continui effe-*  
*trix (per princip. Patholog.): inde tuto colligere poteris, in eo transitus*  
*esse, vt fluor albus benignus in malignum transeat, si tibi antea fluoris albi*  
*constiterit, feminam quamdam aut puellam fluorii albo benigno fuisse*  
*obnoxiam. Ex quo simul appareat ratio, cur huius pruritus absti-*  
*gendi causa, compressis pedibus, curtatos passus facere soleant?* *benigni in*  
*malignum.*

### §. LXXIX.

Quilibet morbus dissensum functionum corporis hu- *Cui funda-*  
*mani respectu suae conseruationis sibi vindicat (per princip. mento pro-*  
*Pathol.). Hinc quo maior est morbus, eo maior est disen-*  
*fus ille, eo magis status corporis a sanitate recedit, eoque gnos- perstruen-*  
*minus sperari poterit sanitatis redditus; quo minor autem da.*  
*fuerit morbus, eo minor etiam erit functionum dissensus,*  
*eo minus laesa sanitas aderit, eoque facilius cum sanitate*  
*in gratiam redibit aegrotans. Quae quum ita sint, ex*  
*magnitudine morbi confidere poteris, an morbus periculo-*  
*fus sit, nec ne? an sanitatis mox redditurae spes certa exci-*

E

tari

tari possit, nec ne? Quare signa morbi prognostica inde erui poterunt (per princip. Patholog.). *Prognosis ideoque fluoris albi, qui e benigno factus est malignus, in genere itidem formanda erit ex magnitudine fluoris albi maligni, in quem sine ullo quoque contagio praecedente transit benignus.*

### §. LXXX.

*Continua-  
tio eiusdem  
rei.*

*Quo plures itaque, quo grauiores sunt caussae, quae ad transiit bunc determinandum concurrunt; quo diutius iam durauit morbus inde subortus, quo grauioribus stipatus est symptomatis: eo peior erit prognosis formanda, eo melior vero, quo minus haec obtinent (§ anteced.).*

### §. LXXXI.

*Casus pro-  
batis de-  
scriptio.*

Vt etiam doctrinae huc usque propositae maius quasi pondus adhuc accedere videatur, non erit alienum ab instituto praesente, casum quemdam practicum describere, qui ad huius argumenti pertractionem mihi potissimum occasionem suppeditauit. Femina quaedam tringinta et duo annos nata, vitae magis sedentariae dedita, temperamenti sanguineo-phlegmatici, bonae alias valetudinis, quinque abhinc annis ex puerperio quibusdam incommodis hystericis obnoxia facta, obseruauit sibi ex eo tempore parciorem fluxum menstruum obortum esse, quam quidem ipsi sollemniserat. Huic excretioni menstruae, de tempore in tempus magis magisque imminutae, accessit tandem fluor albus, initio parcus, mox cessans, mox rediens, deinde vero largus, continuus, omnis ardoris dolorisque ad genitalia expers;

pers; quem ideo benignitatis notam prae se tulisse, quisque mihi facile concedet. Sed ante semestre mutata esse deprehendebatur aegrae conditio; perceptis sub fluore albo continuo ardoribus ad genitalia, magis magisque auctis, ibidemque productis arrosionibus sat manifestis. Nemo nunc dubitat quin fluorem album benignum exceperit malignus. In ista calamitate corporis, ex consilio obstetricis cuiusdam misera pharmacum quoddam sudoriferum sumpsit; sed eo cum effectu, ut, imminuto quidem fluore albo, die subsequente in conspectum prodirent exanthemata purpuracea ad abdomen, scirri glandularum colli, crusta lactea, maculae ad artus dolentes, mox in vlcera pessimi genii mutatae. Tandem nec aegrotantis feminae, nec illius mariti conditio ullam suspicione contagii admisssi mouet.

Casu isto rite perpenso, cuilibet constabit, quantum cum theoria superiorius prolata conueniat experientia fidissima veritatis praeceptrix. Sed nunc ad practicam eiusdem argumenti considerationem me iam conuerto.



## CAPVT II.

DE  
 SANATIONE FLVORIS ALBI BENIGNI IN  
 MALIGNVM SINE PRAEVIO CONTAGIO  
 TRANSEVNTIS.

## §. LXXXII.

*Quando  
raecaueri  
debeat  
morbus?*

**V**bi adhuc benignus fuerit fluor albus, ibi Therapeutam oportebit omnem operam dare, ne ille in malignum transeat. Medicus enim, ad sanandum arcessitus, curare debet, ne ex praefente morbo nouus, isque maior suboriatur (per princip. Therapeut.). Quoniam vero fieri potest, ut fluor albus benignus in malignum quoque transeat sine contagio aliunde ad corpus admisso (§. LXXII.); quo facto, ex morbo minore maior oriatur (§. LXIV.): necesse omnino erit, ut sanatus fluorem album benignum, huius transitum in malignum praeceat.

## §. LXXXIII.

*Consecta-  
rium.*

Ex §. praeced. adscitis simul principiis, supra euictis, sequentes regulae practicae fluunt: *opus hoc loco erit, ut remedia in usum vocentur, quae balsamici et resoluentis effectus sunt, quae banc seri autam ex genitalibus excretionem tollunt* (§. LXXVII, XII et XXXIV.); *ut viscerum abdominalium, debilitatis corporis, nec non fluxus menstrui habeatur rario* (§. LXXVII); *ut denique ad omnitudinem aegrae ex fluore albo benigno determinationem attendatur* (§. LXXIV.), quo facilius obuiam iri

*iri posse partim ortui materiae putridae, partim illius ad uterum eiusque vaginam delationi, atque exterminationi ex corpore.*

## §. LXXXIV.

*Facto fluoris albi benigni in malignum transitu, non alia Quid agen-  
methodus medendi tunc applicari poterit, quam quae fluori albo ma-<sup>dam sit  
fluore albo  
ben. in mā-  
lign. mu-</sup>  
ligno vindicatur in therapeuticis. Tunc enim ortus fluor albus In iato.  
non nisi malignae indolis est (§. §. LXVIII et LXXII). In  
cuius ideoque persanatione secundum eamdem rationem te  
procedere oportebit, quam te sequi iubet Therapia, vbi me-  
thodum medendi fluori albo maligno tradit.*

## §. LXXXV.

Amplissimus campus differendi mihi adhuc pate- Scholion  
ret: si illa remedia quae vi resoluente, putridum corri- generale.  
gente, excernente, tandemque roborante pollut, qui-  
bus omnino ad morbi curationem opus est, nunc expo-  
nere vellem, hisque simul cautelas necessarias subiungere,  
quas concursus mali hysterici saepissime postulat. Quo-  
niam vero haec omnia ex superioribus, simul in subsidium  
vocatis principiis therapeuticis, ab artis peritis perquam  
facile determinari poterunt: realitate methodi medendi ge-  
neratim euicta, sarcinique iam collectis, commode  
nunc fieri poterit scribendi

F I N I S.

## CORRIGENDA.

Pag. 5. §. VII. lin. 1. lege trahente, et cit. §pho lin. 4. Penultima.

F

PRAE-

PRAESTANTISSIMO  
C A N D I D A T O

S. D.

D. ADAMVS NIETZKI.

**O**ptime mereri mihi videris de sexu amabili, DOCTISSIME CANDIDATE, illius innocentia nouo quodam argumento a TE probata. Quandoidem enim contingere solet, ut mariti gonorrhoeam malignam concipient, licet se alienos fuisse sentiant a furtiva venere. Hoc quando fit, nonne in suspicionem veniunt miserae vxores de laesa tori genialis sanctitate? Dum vero in praesente dissertatione euidentissimis argumentis a TE demonstratum est, fieri omnino posse, ut fluor albus benignus, cui vel honestissima puella aut mulier patet, in malignum sponte transeat, nullo scilicet contagio venereo in corpus externe delato: ex fluore igitur benigno generatur in genitalibus materia maligna, quae nunc ad mariatum transferrut, dansem operam amicae vxori in lecto, similem in illo morbum productura. Quantum innocentiae praefidit! Sed longe amplius patent promerita TVA, PRAESTANTISSIME CANDIDATE, quam quae TIBI ideo statuuntur, quod pro virginibus et matronis dixisti. Notissima videlicet est Medicorum controversia de origine luis venereae, quam solum per contagium a gentibus Americanis ad Europaeas transiisse, plurimorum fert sententia. Quam primum vero ex dissertatione TVA cognoscere licet, quod fluor albus benignus, tamquam morbus omni aeuo a Medicis in sexu sequiore obseruatus, sponte degenerare possit in malignum; atque hoc si factum fuerit, efficere valeat, ut modo accendentibus illis caussis, quae materiae putidae in partibus genitalibus haerentis distributionem per omnem massam humorum promouent, inde lues venerea nascatur: quanta iam restrictione opus erit addenda huic fere communi inter Medicos opinioni? Ex animo itaque TIBI gratulor hoc paeclarum eruditionis TVAE specimen publicum! Gratulor Doctoris dignitatem, in TE propediem ex merito sollemniter conferendam! Nullus praeterea dubito fore, ut in cathedra academica cum laude compareas, qui tam in scholis meis, quam ante strata aegrotantium, et diligentiae, et ingenii paeclara edidisti documenta! Restabit adhuc, ut me amori TVO atque amicitiae numquam non habeas commendatum, etiam atque etiam de eo persuasus, fore, ut in TE amando augendoque nemini fiam secundus. Vale resque TVAS feliciter age! Dab. in Acad. Frider.

Non. Ianuar. A. O. R. CL CICC LXI.

NOBL-



NOBILISSIMO ATQVE PRAESTANTISSIMO  
**DOMINO CANDIDATO**

S. P. D.

IOSEPHVS ROESSEL

MED. DOCT. ADIVNC. COLLEG. MED. WRATISLAV.  
ET PHYSICVS PROVINCIALIS.

**M**unus, quod TVI obseruantia mihi imperat DOMINE CANDIDATE ac AMICE colendissime, est ter felix, faustus, fortunatusque Academicæ vitae TVAE exitus, et ad charissimam Patriam TVAM profvero omniſe desideratus reditus. Bene habes! felici miles augurio cupit conſigere, fausto nauta vento voet ad mare ſoluere, bono ſidere arator precatur ſementum iacere, ſed et medicus illaſeo pede, reliquoque corpore deſiderat ſuper aſpidem et baſilifcum ambulare, ut eo citius faluberrima Patriae laribus ſua adferat antidota, quo feliciter ſub tributali arcanorum ſtudio, emenſiſque naturae legibus eadem ab inclyta, ac celeberrima facultate medica Hallenſi percepit, percipiendoque cum inſigni publico Doctoratus plauſu expoſuit, propugnauit, defendit. Talem cum TE itaque hodie excellenti honore dignum ſuper cathedram collegialem iamiam et altatum, ac propemodum laureatum a longe intuear, propius gratulabundus non tam confolita humaniſtate, quam felici augurio votis TVIS frequentiſſimus amicus TVVS accedo. Nec mirum! etenim ex aliena felicitate adplauſum et gratulationem non accendi, febrilem ſuperet paroxiſtum; confolitam humanitatē (intellige quae dico) iam antiqua nos docuere tempora, quae et victoribus ex Martis campo demum redeuntibus fauſtum paecana laeti acclamabant, et nautes, ſuperato feliciter mari, anchoras ad littus fagentibus hilare cum plauſu celeuſma accinebant; imo ex lapide ſectos, et acre fuſos in ſublime erigebant Colofos, queis et alienae felicitatis perennia volebant eſſe monumenta, et ſuorum quoque plauſum ac gratulationum aeternum ſtatura teſtimonia. Sed neque tardiora ad idem confolitae humanitatis nos recentiores habemus ingenia, ſiquidem quotiescunque in confodalibus noſtris singularia bonaſe ſpe et indolis cernimus ingenia, toties fere et nos ſeſtiuiſ iſdem applaudimus manibus, patriae, ac communi publico gratulamur corinſecus. Et re vera ſpes in TE venerandiffime CANDIDATE, AMICE colendissime haud nos falter; non enim ex incerto intelleximus mercurio, ſed auribus noſtris audiuiimus, TE ab hoc tempore, quo ſuperi et fortuna ad celeberrimam Hallensem vniuerſitatem felici TE vocarunt fato, in Peripato Physiologie diu noſtūque indeſeffo ſtudio, excellenti opere, ac plane ſolertiſſima industria equidem ingeniosum, quam in quotidianiſ, publicis ac priuatis experientiſſimorum D. D. Profefſorum praefidio habitis collegiis, competitionibus academicis, annotationibus Anatomicis fuſſe diligentiſſimum. Me hercle! Si scientia medica naturae accuratiſſima ſit ſeruatrix, eximiū ſcrutatorem legum naturae (ut Prisci agebant Galeni) TE ad nos venturum, reſulatari non dubitamus. Iam definiſt mysterium, quod ſuperius

anno-



annotanter dixi TIBI nimirum de felicissimo reditu TVO non tam solita humana-  
nitate (quae humanis mentibus commune est) quam ex felici augurio aggratu-  
lari. Praesagiant alii per me licet ex funere, et cineribus quid ipsi plā-  
cet, praesagio ego ex funere vitam, ex cineribus rediuuum phoenicem. Funus  
est, et in cineres redactus dilectissimus TVVS GENITOR, pientissimus TVVS PA-  
RENS, quem sicut hodie dum praefantissimi Medici fama intra et extra moenia  
nostra depraeedicet, ita et mea singularissima quandam amicitiae, collegialis  
affectionis officium et character ad omnes intermorituro nomine et honore de-  
praedicabit: Ex funere vita, ex cineribus resurget rediuuus Phoenix, si (vt  
opinor) filius quem in TE veneror secuturus sit Patrem a quo virtus sanandi  
iam tunc excitat, dum TE domi latenter, et intra parietes theoriam docuit,  
et extra in tot, tantosque praxin abunde dedit. Si itaque filius sit gloria  
patris, quis quoefo amplius dubitabit TE ingloriosum aut degenerem filium  
fore? Certe nemo, nisi coecutiens aut insaniens, qui hoc ipso aut Medico, aut  
alexipharmaco opus habet. Progredere ergo fauentibus auris ad optatum  
desiderii TVI finem, progredere itinere, quo TE superi ac fortuna vocarunt,  
ascende purpuratus, vt descendas Doctoratus. Descensus TVVS sit festivus  
ad nos regressus, quem tot vota gratulantum comitantur, quot laeta sus-  
piria in domo Wieliana Domina Matre et dilectis sororibus virginibus TVIS  
audiuntur? his quidem in solamen, mihi in gaudium et amicitiam, caeteris vero  
qui TE audissime exspectant in auxilium et suave adiuuamen. Vale. Dabam Stri-  
gouiae Die vigesima Decembbris Anni M. D. C. C. L. X.

---

CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
**DOMINO CANDIDATO**  
AMICO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

D. IO. AVG. LIEBMANN.

**C**ome quoefo, CLARISSIME DOMINE CANDIDATE, ne item, quam iniuriarum  
dicunt, Tibi moueat sexus amabilis. Omnia enim prius tentabit, quam pati, vt illius  
arcanae aegritudines, praembris que contentum pariunt, publici iuris reddantur.  
Accusatus pro reo declaraberis, tota enim TVA dissertatio contra TE testatur; nisi, vt certe  
augor, ideo absoluferis, quod Medicus, medica, cum Medicis communicaueris, et addideris  
simil genuinam methodum, cuius beneficio tetterimus iste morbus et praecaueri et tolli  
potest, de quo solidissime differueristi. Laudem haec ratione potius quam vituperationem eorum  
meritis, qui opinioribus praeconceptis hanc inquinati, de laboribus TVIS iudicium ferunt.  
Iniurias viderer in amicitiam nostram, nisi TIBI de egregio hoc profectum TVORVM aca-  
demicorum specimen, vere gratularer, quod summos in arte nostra salutari honores impetrata-  
turo TIBI adornandum erat. Id quod eo maiori iure iam perficere possum, quo saepius in-  
signem Tuam soleritatem in addiscendis veritatis medicis vidi. Vnde haud inique conicere  
licet, TE florentissimae patriae Tuae olim fore ornamentum, TVORVM delicias, et aegro-  
tantium insigne solatium. Faxis supremum numen, vt haec omnia TIBI eneniant, quae ex vero  
animi affectu optare iubet amicitia. De reliquo autem fac, vt gratiam et amicam mei memo-  
riam numquam non conferas, simulque crede, me omninem daturum esse operam, vt amicus  
Tus non videat solum sed etiam re vera sim. Vale et res Tuas semper age feliciter.  
Dabam in regia Fridericana die VII. Ian. A.P.C.N. MDCCCLXI.

Ua 4235

ULB Halle  
001 500 996

3



sb





DE  
**FLVORIS ALBI**  
**BENIGNI IN MALIGNVM**  
**TRANSITV SINE PRAEVIO CONTAGIO**  

---

P R A E S I D E  
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO  
D O M I N O  
**D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO**  
MED. ET ANAT. P. P. ORDINAR. ACADEM. CAESAR. NAT. CVRIOS.  
ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL. ET REG. BEROL. SCIENT.  
SODALI  
P A T R O N O F A V T O R E E T P R A E C E P T O R E  
OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDO  
**PRO GRADV DOCTORIS**  
SOLLEMNITER CONSEQVENDO  
DIE IX. JANVARII 1761.  
H. L. Q. S.  
P V B L I C E D I S P V T A B I T  
AVCTOR  
**FRANC. JOSEPH. FERD. FRIDER. WIEHL**  
STRIGOVIA SILESIVS.

HALAE AD SALAM  
STANNO CVRTIANO.